



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Caput LII. De Pulsatore campanarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

CAPUT LII.

De pulsatore campanarum.

A Conversatione atque officiis domesticis ad ea gradum jam facimus, quæ spectant ad Ecclesiam & Chorum; inter quæ primum est pulsatoris campanarum; h-c etenim est, qui signum edit, atque officii divini horas distinguit.

Directio.

Gratias ago tibi, Domine Deus, quòd me ad istud officium, veluti præconem, aut buccinatorem tuæ gloriæ elegisti. Vis itaque, ego Fratres meos campanæ sonitu, juxta horarum diversitatem ac solennitatis divini tui cultus discretionem ad tuas canendas laudes ut excitem. Hoc officio interiori cum devotione ad totius communitatis ædificationem fungi desidero. Divinam Majestatem tuam, quam possum humillimè oro, ut hanc gratiam per merita & preces Beatissimæ Virginis mihi concedas.,,

Spiritus istius actionis pulsandi campanas in eo consistit, ut illam qui obit, se consideret veluti Regni Dei, quod est sancta Ecclesia, administrum. Etenim campanarum pulsandarum ministerium sacrum est, ac veluti tale ab Episcopo imponitur in ordine ostiarii, qui unus est ex quatuor minoribus ordinibus.

Animadvertere debet nihilominus, campanas esse in Ecclesia peculiari solemnitate, precibus

ibus prolixioribus, aquæ lustralis, incensi, atque etiam olei sancti chrismatis adhibitione benedictas : quia instrumentum esse debent Spiritus sancti, quò tam interius, quàm sono exteriori Religiosi, Ecclesiastici aliique fideles ad adorandum ac laudandum Creatorem invitentur, atque in illis excitentur motus pietatis ac devotionis, quos alia instrumenta, quantumvis harmonica sint, nequaquam progenerant.

Ea consideratio zelum ipsius inflammabit, atque ubi suo defunctus fuerit officio intra semetipsum dicere poterit : “ Utinam vocem
 “ haberem instar campanæ sonoræ, omni
 “ qua possem contentione clamarem, ut orbem
 “ terrarum universum ad communem Crea-
 “ torem nostrum adorandum, ac laudes ipsius
 “ decantandas convocarem.

CAPUT LIII.

*De illis, qui in officio di-vino dicunt
 sacras lectiones.*

ESt in Ecclesia Ordo Lectorum, quibus Episcopus in eorum inauguratione potestatem dat publicè legendi in Ecclesia Prophetarum oracula, sacræ Scripturæ lectiones, ac SS. Patrum expositiones.

Exhibendo illis librum tangendum, quemlibet monet, ut suo dignè fungantur officio, ut ostendat, illis, qui ad id muneris deputantur, connitendum esse, ut opus istud, quasi exigui negotium momenti, indifferenter ne suscipiant, sed

sed